

aqua, aqua in aere, aer in igne, ignis in concavo cœli inferioris, videlicet in cœlo lunæ. de cœlestibus corporibus iuxta Astrologos etiam dicendum est, quod in loco sint hoc modo, nempe cœlum lunæ in mercurij cœlo, mercurius in venere, venus in sole, sol in marte, mars in ioue, iuppiter in saturno, saturnus in cœlo stellato, quod communiter primum mobile vocatur, & hoc ab empyreo circumcingitur. quare Aristoteles dixit, primum mobile esse tantum in loco secundum partem, videlicet in quantum pars vna illius aliam eiusdem tangit; quia non cognouit cœlum empyreum, & putauit primum mobile esse ultimam sphærarū, quod falsum est, cum supra illud sit empyreum cœlum, & supra hoc nullum aliud cœlum est, nec locus realis, sunt tamen spatia imaginaria, ut communiter ab omnibus defenditur; de quibus Ipatijs imaginarijs infra suo loco dicantur, vnde cœlum empyreum est in loco secundum partem.

18 Obijcies. partes cœli empyrei non sunt diuisibiles; ergo neque sunt in loco in potentia antecedens probatur, si cœlum empyreum posset diuidi, esset corruptibile; atqui non est corruptibile; ergo neque diuisibile.

Respondeo, nego antecedens; quia cum sint extense in ordine ad locum; etiam diuisibiles sunt; ad probationem antecedentis dico, falsam esse maiorem, quia cum non habeat qualitates contrariantes, nec extrinsecum contrarium a quo corruptatur, non potest dici corruptibile, & esto quod esset corruptibile a natura, diuina tamen virtute non reducitur ad actum.

19 De Angelis & Deo an sint in loco, partem affirmatiuam defendere non dubito, modo tamen explicando.

Explico igitur propositionem à me positam sic. quod propriè extendi, quod idem est, ac extra se tendi, rebus quantis proprietatum conueniat, & non alijs, ego non pono in dubium, quia ipsè habent partes extra partes, & impeneratas; vnde vna est extra aliam, res vero simplices, cum tales partes non habeant, nec propriè extensionem dicuntur habere, quia neque sunt, neque tendunt extra se ipsas, nisi forte ponamus in eis extensionem virtualem, ut ponere debemus, quæ in eis habetur per suam substantiali, ut videlicet respondeat indiuisi biliter ipsa tota toti extensiōni loci, & singulis eius partibus, quod vocatur esse in loco definitiuē; ita est anima in toto corpore, angelus in toto spatio æquali ipsius presentiæ, & Deus in toto hoc vniuerso. immo ego addo, Deum substantialiter ac definitiuē vi sua immensatis,